

vitus ex patria expulsus sit (431—441. 591. 765—771.). Nam hoc sine dubio ipse sensit Oedipus, iure quodam suo Thebanos potuisse se, qui et patrem occidisset et matrem uxorem duxisset, ex patria sua expulsus velle, quanquam scelera illa, quae invitus perpetrasset, oculis effossis satis iam expiata arbitratus videtur; verum illud merito indignari potuit, quod, si propter facinora illa abesse e patria debuit, non statim, ut voluerat, eiectus erat; neque propterea reprehendendus erat, quod Thebanos emolumento, quod ex praesentia ipsius in eos redundabat, frui noluit, quum incommodo, quod ex eadem oriri putabatur, laborare illi nollent.

Neque vero, quod quispiam obiecerit, Oedipus iis, quae filiis suis obiecit, omnino iniuria se in exsilium esse missum ostendere voluit. Iis enim si potestas erat facta Oedipi, qui sine oraculo eiiceretur, honeste in urbe retinendi, maximo iure crimini verti potuit, quod quam poterant et pietatis causa debebant patri suo misero opem ferre recusassent. Atque id ipsum est, quod iis ab Oedipo exprobratur, dicenti (441—444.): *οἱ δ' ἐπωφελεῖν οἱ τοῦ πατρὸς τῷ πατρὶ δυνάμενοι τὸ δρᾶν οὐκ ἠθέλησαν, ἀλλ' ἔπους μικροῦ χάριν φυγᾶς σφιν ἔξω πτωχὸς ἠλώμην ἐγώ.*

Iamsponte eo deducti sumus, ut quae causa dirarum illarum fuerit, quibus Oedipus prius quam Athenas pervenisset filios devovisse dicitur⁴⁾, paucis explicemus. Ac ne haec quidem obscuram voluit Sophocles esse. Quum enim Oedipus nihil filiis suis exprobraverit, nisi quod non prohibuissent, quod prohibere potuissent, ne patria expelleretur (427—430. 441—444. 1356—1364.), neque exsulantis ullam curam gessissent, sed sorores, quod ipsos facere convenisset, miserum patrem sublevare in exsilio passi essent (337—352. 1354—1369.), quumque, si praeterea commisissent aliquid, quod iure in iis reprehendi posset, minime veri simile sit id Oedipum in tanto contra eos odio omissurum fuisse: quis tandem dubitabit, quin hanc solam ob causam, quod expelli se sivissent nec exsulantem comitati essent tum, quum eiiceretur Thebis, filiis mala imprecatus sit? Quin adeo certo id intelligitur ex huius fabulae v. 1370 sqq.: *τοιγάρ σ' ὁ δαίμων εἰσορᾷ μὲν οὐ τί πω ὡς αὐτίκ', εἶπερ οἶδε κινουῦνται λόγοι πρὸς ἄστν Θήβης. οὐ γὰρ ἔσθ' ὅπως πόλιν κείνην ἐρείψεις, ἀλλὰ πρόσθεν αἵματι πεσεῖ μιανθεὶς χὼ ξύναιμος ἐξ ἴσου. τοιάσδ' ἄρα σφῶν πρόσθε τ' ἐξανῆκ' ἐγὼ νῦν τ' ἀνακαλοῦμαι ξυμμάχους ἐλθεῖν ἐμοί, ἵν' ἀξιῶτον τοὺς φντεύσαντας σέβειν, καὶ μὴ ἕξιμαζήτον, εἰ τυφλοῦ πατρὸς τοιῶδ' ἔφυτον,* quae ipsa verba Oedipus Polynici dixit, postquam modo exposuit, quam impios se filios adversus patrem, quum expelleretur et in exsilio esset, praestitissent.

4) Duobus in locis Sophocles dirarum illarum mentionem iniecit, 1299: *ὦν ἐγὼ τὴν σὴν Ἐρινὸν αἰτίαν εἶναι λέγω.* 1375: *τοιιάσδ' ἄρα σφῶν πρόσθε τ' ἐξανῆκ' ἐγὼ νῦν τ' ἀνακαλοῦμαι ξυμμάχους ἐλθεῖν ἐμοί.* De diris illis ab aliis scriptoribus memoratis vide Valck. ad Eur. Phoen. 68.